The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus ex epistola ad galathas (fol.4vb-5ra)

1. Nichil sic probat spiritalem uirum. quam peccati alieni tractatio cum liberationem eius potius quam insultationem potiusque auxilia quam conuicia meditatus. et quantum facultas tribuitur suscipit.

   Nihil autem sic probat spiritualem virum quam peccati alieni tractatio, cum liberationem eius potius quam insultationem potiusque auxilia quam convicia meditatur et, quantum facultas tribuitur, suscipit.

   Augustinus Hipponensis, *Expositio ad Galatas*, 56.1 (CSEL 84, J. Divjak ed., p.130, ll.19-22).

2. Nichil ad misericordiam sic inclinat. quam proprii periculi cogitatio.

   Nihil enim ad misericordiam sic inclinat quam proprii periculi cogitatio.

   Augustinus Hipponensis, *Expositio ad Galatas*, 56.4 (CSEL 84, J. Divjak ed., p.131, ll.5-6).

3. Nunquam alieni peccati obiurgandi suscipiendum est negocium. nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscienciam. liquido nobis coram deo Responderimus dilectione nos facere.

   Numquam itaque alieni peccati obiurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam liquido nobis coram deo responderimus dilectione nos facere.

   Augustinus Hipponensis, *Expositio epistulae ad Galatas*, 57.1 (CSEL 84, J. Divjak ed., p.133, ll.16-19).

4. Quicquid lacerato animo dixeris punientis est impetus. non caritas corrigentis. dilige et dic quod uoles.

   Quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non caritas corrigentis. Dilige, et dic quod voles, nullo modo maledictum erit, quod specie maledicti sonuerit, si memineris senserisque te in gladio verbi dei liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum.

   Augustinus Hipponensis, *Expositio epistulae ad Galatas*, 57.3-4 (CSEL 84, J. Divjak ed., pp.133-4, ll.25-26, 1-4).